Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26214
Copyright: Admont, Benediktinerstift



onera ex amore toleramus. Sed hec eadem lex multiplex
dr: quia studiose sollicitudini caritas ad cuncta
uirtutum facta dilatatur. que a duobus quidem preceptis in
cipit. sed se ad innumera extendit. Huius namque legis in
ieiunium dilectio dei est. ac dilectio proximi. Sed dei dilectio per tria
distinguitur: quia ex toto corde et ex tota anima et
ex tota uirtute diligi creditor iubetur. Qua in re notandum
est quod diuinus sermo cum deum diligi precipit. non solum narrat
ex quo sed etiam informat ex quanto. Cum subiungit ex toto
uidelicet qui perfecte deo placere desiderat. sibi de se nichil
relinquat. Proximi autem dilecto ad duo precepta deriuatur.
cum et per quendam iustum dr: Quod ab alio odis tibi fieri. uide ne
tu alteri facias. Et per semet ipsam ueritas dicit. Que uultis ut
faciant uobis homines. et uos facite illis. Quibus duobus scilicet
utriusque testamenti mandatis. per unum malicia compescitur.
per aliud benignitas prorogatur. ut et malum quod pati enim
uult quisque non faciens cesset a nocendi opere. et rursum
bonum quod sibi fieri appetit. impendens erga utilita
tem se proximi exerceat ex benignitate. Sed hec nimirum
duo dum sollicita intentione cogitantur. cor ad innu
mera uirtutum ministeria tenditur. ne uel ad inferenda
que non debet desiderus inquieta mens ferueat. uel
erga exhibenda que debet ocio resoluta torpescat.
Nam cum cauet alteri facere quod nequaquam uult ab
altero ipsa tolerare. sollicita se intentione circum
spicit. ne superbia eleuet. et usque ad despectum proximi
animum deiciens exaltet. ne ambitio cogitationem
laniet. cumque hanc ad appetenda aliena dilatat